

DE RATIONE ADMIRATIONIS IN CHRISTO, PEL DR. JOAN BTA. MANYÀ, CANONGE MAGISTRAL DE TORTOSA

Commentarius theologicus in Matthaeum, VIII, 10

STATUS ET HISTORIA QUAESTIONIS

“Cum vellet (Arius) asserere, ait Stus. Thomas, quod filius Dei sit creatura et minor Patre: ad hoc probandum illa scripturarum assumpsit testimonia quae infirmitatem humanam ostendunt in Christo”. Huic arianae objectioni facilis et obvia apud Patres inventa est solutio, distinguentes in Christo duas naturas, et divinae quidem negantes ea quae Deo nequeunt convenire. Arius autem, ut vitaret hanc orthodoxorum Patrum respcionem, “nequiter animam removit a Christo: ut cum quaedam corpori humano convenire non possint sicut quod *miratus est...* necessarium fiat hujusmodi in filium Dei minorationem inferre” (*Contra Gentes*, lib. 4, c. 32, n. 1).

Itaque admiratio Christi unum erat ex capitibus arianae controversiae et ideo exinde incepit proponi, virtualiter saltem, quaestio de natura admirationis quam Christo tribuit evangelica narratio (Mt. VIII, 10; Mc. VI, 6). Ut autem fere fit, non statim exortae sunt ideae clarae et definitivae, nec quaestio expresse proponi et solvi consuevit; gloria haec Sto. Augustino, ut videtur, reservata erat.

Ad Patres Augustino anteriores quod attinet, certum est admirationem a divina Christi natura removisse; difficile temen est dicere num ipsam concessissent in humana ejus natura, cum haec quaestio apud ipsos expresse tractata vix inveniatur. Christum quidem admiratum concedebant ex evangelico textu, quin tamen in determinanda natura hujus admirationis immorarentur. Ita Origenes, Hilarius, Chrisostomus, Hieronymus, etc. (1). Fortasse Patrum illius aeta-

(1) “Attende quantum sit aut quale quod Deus unigenitus miratur. Aurum, divitiae, regna, principatus, in conspectu ejus sunt tamquam umbra vel flos decidens: nihil ergo horum in conspectu Dei mirabile quasi magnum vel pretiosum, sed tantum fides; hanc miratur honorificans, hanc acceptabilem sibi aestimat”. Origenes, *Homilia 5.*

“Miratus deinde fidem, ait: non inveni tantam fidem in Israël”. Hilarius, *Comment. in Mt. VII.*

“Miratus est enim, inquit evangelista, et ita miratus, ut tanta hominum turba prae-

tis sensus de hac re, ex his quae sentiunt de ignorantia Christi hominis conjici possit. Ignorantiam enim sequitur possibilitas admirationis; et ita Patres illi qui, ut Gregorius Nazianzenus, Cyrillus Alexandrinus, etc., dicuntur in anima Christi ignorantiam concessisse, etiam et admirationem admisisse dicendi essent. Sed dubia est etiam mens horum Patrum circa ignorantiam Christi. (Cf. Billot, *De Verbo incarnato*, Thes. XXI; Pesch, *Praelect. dogmaticae*, vol. 4, n. 273).

Mentem Patrum illius temporis et statum quaestionis ita describit Petavius: "Alia (imbecillitatis argumenta) plane et sine ulla tergiversatione et constanter asseveranterque fuisse in Christo fassi sunt (Patres anti-ariani) ut sitim, famem, dolorem, tristitiam, vulnera, mortem; alia non primario affirmateque, sed secundo veluti loco defensionis admiserunt ac saepe post alia responsa, quibus ab Christo quae objiciebantur abfuisse monstrabant, ad extrema velut ista tuendae causae subsidia confugerunt; tamquam ita dicerent; si omnino vitare non potest neque per adversarios licet ab Christo penitus ista segregare; certe nihil est necesse ad divinitatem illa Christi referre: cum in humanam naturam potius competere videantur. Hujus generis ea sunt quae ignorantiam aliquam (ut admiratio) significare videntur" (*De Incarnatione*, lib. II, c. I, n. 5).

Stus. Augustinus non semel tantum hanc quaestionem tractat, constansque est in neganda Christo vera admiratione; nec invocat umquam in hac re naturalium discrimen, sed simpliciter et absolute Christum supponit omniscium et ideo admirationis incapacem. Quod autem in Evangelio interdum dicatur Christus admiratus ita explicari debet: Christus vivens inter homines verus homo, gerere se oportebat ut homo. Ubi ergo aderat causa quae hominum admirationem excitare valeret, ipse quidem interius non admirabatur, accommodabat se tamen exterius huic affectui, perinde ac si vere experiretur. Proinde et verba et expressio vultus et alia externa erant hominis admirantis. Hoc autem faciebat ut nos doceret quid admirari et laudare, et tandem imitari oportebat. Infra textus afferemus.

Augustinum secuti sunt plures antiqui, v. g. Beda (2), Anselmus (*in Mt VIII*), etc.

Stus. Thomas, distinguens in intellectu humano Christi triplicem illam apud theologos notissimam scientiam, beatam, nempe, infusam et adquisitam seu ex-sente atque audiente, imitandum ipsum coeteris proposuerit". Chrisostomus, *Homilia 27 in Mt.*

"Certe id ita fecit ut quanta sit Centurionis fides perdiscamus: nisi enim ita fecisset sed illico puerum donasset, sincera illius fervensque fides nobis ignota esset". (*Ibidem*, paulo antea).

"Miratus est quod vidit Centurionem suam intelligere majestatem". Hieronimus, *Comment. in Mt. VIII.*

(2) "Non quasi inopinata et improvisa miratur qui novit omnia antequam fiant; sed qui novit occulta cordis, quod mirandum intimare vult hominibus, mirari se coram hominibus ostendit". Beda, *In Mc.* (S. Th. Cat. aur. Mc. VII).

perimentalem, et utramque priorem ponens ab initio plenam et perfectam, statuit etiam juxta superiorem utramque, veri nominis admirationem in Christo dari non posse. At secundum inferiorem, scilicet, acquisitam, quae augmenti capax est, ideo quia ab initio non plena, quae ex sensibilibus sicut et nostra gradatim oriebatur, veram at proprie dictam admirationem non secus ac in nobis fit, dari potuisse, contendit; ex praesentia scilicet rei, quae secundum inferiorem scientiam Christi, fuisset ipsi nova et insolita. Et ita videtur interpretari locum ex Mt. VIII, 10. Textus infra transcribuntur.

Stum. Thomam, Augustino relicto, aut infeliciter detorto, secuti sunt vix non omnes theologi et exegetae praesertim hodierni, ut videre est in tractatibus christologicis, et in commentariis in evangelium Matthaei, ad caput VIII. Non vacat afferre nomina, cuius enumeratio vix finem haberet ex omni schola theologica et exegetica. Omnibus tamen, ipsis patentibus, specialem praebet haec quaestio difficultatem. Admiratio enim si conceditur in Christo propria, vix concipi potest absque ignorantia praevia rei mirae; ignorantiam autem non concedunt in Christo. Quod si non importaret ignorantiam, vix appareret ratio cur et ipsi Deo concedi nequeat. Admirationem autem proprie dictam in Deo omnes rejiciunt.

Ad hoc dilemma evadendum theologi tentamina quaedam, seu ulteriores protulerunt explicationes, quae saltem sunt praeter mentem Angelici Doctoris. Quae quidem tentamina speciali examini infra subjiciemus praesertim quoad eam partem qua conantur ostendere possibilem in Christo verae admirationis affectum. Quoad aliam vero partem qua nituntur in Deo vitare admirationem, non est cur hic data opera discutiantur. Nobis enim, negata Christo vera admiratione, nihil remanet nisi Deo applicare, et quidem a fortiori, id quod de Christo praedicamus. Ceterum, confer, si lubet, Lugo solventem efficaciter tentamina a Suarez, Vasquez aliisque excogitata; ipse tamen, non feliciori successu rem istam prosequitur.

Nec tamen Augustinus solus relictus est. Non enim desunt auctores non spernendi qui Augustinum sequuti, Christum sub quacumque scientia tam divina quam humana etiam acquisita, potuisse veram admirationem experiri, simpliciter negant. Ita Maldonatus, Calmet, Siuri, etc. (3). Alii, ut Cornelius a Lapide, Jan-

(3) "Experientia non potest admirationem afferre iis qui quidquid experiuntur animo praesumpserunt, cuiusmodi Christum fuisse certum est. Multo probabilius Augustinus non fuisse revera miratum sed ut nos miraremur quasi admirando dixisse; non inveni tantam fidem in Israël" et adductis locis ex Augustino *Contra advers. leg. et De Genesi c. Manicheos* (cf. infra) prosequitur: "Credo ego ita Christum mirari dici, sicut irasci dicitur Deus; non quod revera irascatur sed quod puniat quod homines irati facere solent. Sic Christus miratus dicitur non quod miratus, sed quod ad modum mirantis loquutus sit: O mulier magna est fides tua". Maldonado, *In Matthaeum*, VIII, 10.

"Admirationem parit ignorantia... Nihil ignorare poterat Dei Filius; nihil igitur admirari, sed ut coeteris aliquid commendaret, ita voces et facta temperare potuit quasi revera admiraretur". Affert locum Augustini *Contra advers. leg. et proph. Calmet, Comment. litter. in Mt. VIII.*

senius, Tostatus, Salmeron, ad hanc sententiam plus minusve accedere dicendi sunt (4).

Nota. — Sententia ponens in Christo possibilem admirationem veram, praevaleret fere absolute inter illos qui sub nomine theologorum, non explicationem evangelii, sed christologiam directe colunt; e contra, sententia negans, patronos vix non unicos habet inter exegetas qui nempe, directe explicationem agunt evangelii. Quod mirum videri potest, cum textus evangelicus per se potius sensum litteralem suadeat, cuius impedimenta nonnisi ex principiis christologicis oriuntur. Fortasse ingens inter theologos auctoritas Sti. Thomae, in reddenda hujus rei ratione, partes habet potissimas.

Mens Sti. Augustini

Stus. Augustinus, praesentim contra manichaeos agens, saepe quaestionem de admiratione Christi ex Mt. VIII sibi proponit et solvit. En loca praecipua:

“Si Jesus sibi notam habebat fidem Centurionis per scientiam beatam et infusam, quamvis de novo eam cognosceret per scientiam experimentalem non ideo nova ei esset fides Centurionis nec experimentaliter noscens rem sibi novam et inopinatam nosceret: ergo non erat cur admiraretur. Itaque sequor alteram sententiam negantem in Jesu veram et propriam admirationem: 1. Propter modo positam et corroboratam rationem. 2. Propter auctoritatem plurium Theologorum et Expositorum illam tenentium (nullum tamen nominat) 3. Ob auctoritatem Sti. Augustini”. Siuri, *Tractatus evangelici*, tract. 36, n. 26-27 (Cordubae, 1725, pag. 857).

(4) “Dicendum primum in Christo fuisse exteriorem admirationem qua signis quibusdam exterioribus declaravit se admirari pro comprobatione tantae fidei hominis gentilis. Secundo fuit etiam in Christo interior quaedam admiratio, non ex ea parte qua ei omnia erant cognitia, sed ex ea parte qua experimentali notitia hactenus ei incognita fuerat tam nova et insolita fides Centurionis. Potissimum tamen videtur ideo dici admiratus quia in modum admirantis vultum suum composuit”. Jansenius, *Concordia*, c. 45, 3.

“In Christo proprie et absolute loquendo non fuit admiratio, quae scilicet ex imo corde ejusque fundo manaret” ratione scientiae superioris, quia “nihil ei utpote omniscio erat novum, incognitum vel inopinatum et admirabile. Excitavit tamen Christus in se per scientiam experimentalem, cum aliquid magni et novi experiretur, aliquem quasi superficialem actum interiorem et gestum exterioris admirationis, ut alias idem admirari doceret. Ita Stus. Augustinus (*De Genesi*)... Sic et Stus. Thomas (!), 3. XVI, 8”. Cornelius a Lapide, *Comment. in Mt. VIII*.

“Quia erat animae suae (Christi) hoc (fides Centurionis) incognitum idest inexpertum secundum cognitionem experimentalem, admiratus est quando realiter vidit tantam fidem, sicut et nos cognoscimus aliqua speculative quae magna sunt, et tamen quando videmus ea realiter accidere, admiramur. Non poterat tamen in Christo esse de aliqua re tanta admiratio sicut in nobis, quia quanto major est ignorantia tanto major est admiratio... ideo licet Christus aliquando admiraretur de aliqua re, modica erat admiratio, sicut si Astrologus sciat pro certa die et hora futuram eclipsim vel aliquid insolitum in coelo, quando realiter illud videret, modicum mirabitur, licet sit aliqualis immutatio in eo, scilicet quia experimentaliter hoc non viderat prius”. Tostatus, *In evangelium Mt. VIII*, q. 34 (Vene-
tiis, 1728, tom. 20, pag. 231).

“Ita Christus etsi nullam habuisset interiorem admirationem, cum speciem admirantis exhibuit dicitur admiratus (*Mt. VIII*) ut ait Beda in *Lucam*... Et Christus, si B. Thomae credimus, aliquomodo interius est admiratus”. Salmeron, *Comment. in evangelicam historiam*, p. 2, tract. 18 (Coloniae Agrippinae, 1602, vol. 3, pag. 378, I. Cf. *ibidem*, tom. 6, tract. 22, pag. 144).

Utramque igitur solutionem, et Augustini et Thomae, proponit Salmeron et reputat probabilem.

a) *De Genesi contra Manichaeos*, lib. I, c. 8, n. 14 (M. 34, 180). Ex Genesi (I, 4) contendebant manichaei Deum Veteris Testamenti miratum fuisse lucem cum videret eam bonam, et inde arguebant non esse Deum verum qui admirationem non capit. Respondet Augustinus:

“Quod si dictum esset: *miratus est Deus lucem quia bona est?* quantum clamarent? quantum litigarent? Admiratio enim revera de rebus insperatis nasci solet et tamen legunt isti et laudant Dominum nostrum Jesum Christum in Evangelio admiratum esse fidem credentium (Mt. VIII). Quis autem in illis fecerat ipsam fidem nisi ipse qui eam mirabatur? Quod si et alius eam fecisset utquid miraretur qui praescius erat? Si solvunt Manichaei quaestionem istam, videant quia et illa solvi potest. Si autem non solvunt, quid ista reprehendunt quae ad se nolunt pertinere, cum illa quae ad se pertinere dicunt, non noverint? Quod enim mirabatur Dominus noster nobis mirandum esse significat, quibus adhuc est opus sic moveri. Omnes ergo tales motus ejus non pertubati animi sunt signa sed docentis magistri. Sic sunt et verba Veteris Testamenti quae non Deum infirmum docent, sed nostrae infirmitati blandiuntur. Nihil enim de Deo digne dici potest. Nobis tamen ut nutriamus et ea perveniamus quae nullo humano sermone dici possunt, ea dicuntur quae capere possumus.”

b) Simili omnino ratione arguit *Contra Faustum Manichaeum*, lib. XXII, c. 13-14 (M. 42, 406):

“Miratum sane Faustus Deum nostrum dixit, quod scriptum non est; nec omnino est consequens ut cum aliquis vidiit quia bonum est, etiam miratus dicatur... Verum tamen ostendimus eis, non in Veteri Testamento cui malitiose calumniantur, sed in Novo quod, ut imperitos fallant, accipiunt, Deum esse miratum. Christum enim fatentur Deum... Deus ergo miratus est, cum Christus miratus est: sic enim scriptum est in Evangelio quod audit a fide cuiusdam Centurionis miratus est, et ait discipulis suis: Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israël... exponant isti quare sit miratus Jesus, quod antequam fieret praesciebat; et antequam audiret utique noverat. Quamquam enim plurimum intersit, utrum videat aliquis quia bonum est, an etiam miretur: in hoc tamen est non nulla similitudo, quia etiam Jesus lucem fidei miratus est, quam in corde illius Centurionis ipse fecerat, qui verum est lumen quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (Jo. I. 9). Quem posset certe aliquis impius paganus ita calumniari et reprehendere in Evangelio sicut Deum Faustus in Veteri Testamento. Diceret enim et ille improvidum Christum ex hoc quod miratus est fidem Centurionis... sed tamen si paganus in Novo Testamento talia reprehenderet qualia isti reprehendunt in Vetere, nonne et ipsi ea defendenda susciperent? Quod si facere possunt, qua tandem recordia hic talia reprehendunt qualia ibi defendunt?”

c) Pariter etiam *Contra adversarium legis et prophetarum*, lib. I, c. 7 (M. 42, 608) confutat anonymum illum adversarium hoc modo:

“Videte quid dixerit: *Adeo antea nescivit*, inquit, *lux quid esset, ut modo eam primum videns optimam judicaret.* Ergo et Dominus Jesus, quando auditis verbis Centurionis miratus est et dixit discipulis suis: *Amen dico vobis non inveni tantam fidem in Israël*, nescivit antea fides illa quid esset, ut tunc eam primum videns, optimam judicaret. An vero aliis eam in corde Centurionis operabatur, quam ipse qui mira-

batur? Et profecto amplius est unde possint blasphemare insipientes et infideles quod miratus est Jesus quantamcumque hominis fidem, quam quod vidit Deus lucem quia bona est. Potest enim quisquis etiam solita videre, quia bona sunt, hoc est, sibi placita comprobare; quisquis autem miratur profecto secundum consuetudinem qua homines loquuntur, inopinatum atque improvisum sibi esse significat quod miratur. Sed Jesus qui omnia praesciebat, quod mirandum aliis commendabat, mirando laudabat. Quid autem Deus vidit a se factum quod non in luce quod ipse est, prius vidit esse faciendum?"

d) Enucleate et directius quaestionem de admiratione Christi tractat in *Epistola 162 (101), Ad Evodium*, n. 6 (M. 33. 707):

"Istae sunt causae admirationis cum vel ratio cujusque rei latet, vel eadem res usitata non est, quod aut singularis aut rara est. Ex illa ergo causa latentis rationis ego dixi... non quod res (agitur de partu virginis Mariae) careat ratione, sed quod eos lateat quibus hoc Deus voluit esse mirabile. Ex alia vero admirationis causa, quae ideo est quia insolitum aliquid occurrit, scriptum est de Domino quod miratus sit Centurionis fidem, neque enim eum rei ullius ratio potuit latere, sed admiratio pro laude posita est ejus cuius par in populo Haebraeo non apparuerat; unde ipsa admiratio satis exposita est cum Dominus ait: *amen dico vobis non inveni tantam fidem in Israël.*"

Et prosequitur rem numero sequenti:

"Habent itaque omnia suas causas atque rationes rectas et inculpabiles quae Deus vel usitato vel inusitato operatur. Sed hae causae atque rationes cum latent, miramur quae fiunt: cum autem patent, consequenter ea vel convenienter fieri dicimus: nec mirandum esse quia facta sunt quae ratio exigebat ut fierent. Aut si miramur non inopinata stupendo, sed excellentia laudando miramur; quo genere admirationis Centurio ille laudatus est. Nec ideo reprehendenda est sententia qua dictum est: *Si ratio quaeritur, non erit mirabile* (in epistola 137 *Ad Volusianum*; Cf. Epist. 161): quoniam est aliud genus admirationis etiam cum ratio manifesta est admiranti: neque enim propterea culpatur sententia qua dictum est, *Deus neminem tentat* (Jac. 1. 3) quoniam est aliud genus temptationis propter quod recte itidem dictum est: *Tentat vos Dominus Deus vester* (Deut. XIII, 3)."

Quaedam alia apud Stum. Augustinum de admiratione dicta occurrunt, (e. g. *De ordine*, lib. I, c. 3, n. 8 — Enarrat in *psalm.* CV, 22); quae tamen prae modo transcriptis, minoris momenti esse videntur.

Itaque Stus. Augustinus duplarem distinguit admirationis speciem; aliam quae proprie dicitur talis et oritur ex ignorantia, et aliam quae non fundatur in ignorantia sed pure in objectiva magnitudine et insolentia rei mirae, potestque coexistere cum plenitudine cognitionis. Hanc solam secundam concedit possiblēm in Christo propter ejus omniscientiam, nec ulla umquam in hac re occurrit Augustino distinctio inter diversas in Christo species scientiarum, quas tamen

ipse bene noverat. Nullo tamen jure haec Augustini distinctio a quibusdam theologis, ut Sylvius (5) ita intelligitur, praesertim ex epistola 162, ac si utraque species esset verae et proprie dictae admirationis; sed ex mente auctoris secunda admirationis species nonnisi improprie dicenda est talis, eo ferme sensu, quo ipsam et alios similes affectus, e. g. iram, de Deo praedicamus. Quod sequentibus probatur rationibus:

a) Saepe affirmat Augustinus hanc admirationem nihil aliud quam laudem significare; quod quidem et in ipsa epistola 162 expresse habetur.

b) Augustinus rejiciens argumentum quod ex Gen. I, 4 manichaei petebant, contendentes Deum Veteris Testamenti non esse Deum verum, utpote lucem admiratus et alia creata, constanter remittit adversarios ad Mt. VIII, 10, redarguens eo quod eadem sit species admirationis quam habuit Christus et quam potest ipse habere Deus, quae nempe, nullam supponit ignorantiam, sed stat cum praevia et perfecta cognitione rei; hancque paritatem non in sola praevia cognitione rei fundat Augustinus, sed etiam in efficientia ejusdem, quatenus sicut Deus est causa rerum quas diceretur mirari (lux et alia creata), ita Christus causa erat fidei in anima Centurionis. Quum autem admiratio cuius Deus est capax nonnisi improprie dici possit talis, ita etiam quam habuit Christus.

c) Ex ipsa epistola 162 clare eruitur, eo pacto Christum dici admiratum, quo Deus dicitur homines tentare, i. e. sensu improprio, cum veritas objectiva hoc habeat, quod *Deus neminem tentat*.

d) Tandem, explicite asserit Augustinus, saepe modo interrogativo, admirationem non capere eum qui rem miram praevie et perfecte cognoscat, imo et eam ipse effecerit, hocque ad Christum applicat in casu Centurionis; interdum etiam ipsum vocabulum, admiratio, de Christo dici posse negat. Haec autem essent evidenter falsa, si et secunda sicut et prima admirationis species ab eo distinctae, vere et proprie utraque nomen admirationis mereretur.

Dices, tamen: “Licet dicat (Augustinus) Christum fuisse admiratum propter nostram instructionem, non tamen dicit fuisse admiratum solum secundum speciem et signa externa, sed vere: ita enim se gessit exterius sicut interius erat dispositus per veram admirationem” Suarez (o. l. c.). *Resp.* Sed contra est quod Augustinus non tantum dicit “Christum fuisse admiratum propter nostram instructionem”, sed in explicanda indole ejus admirationis ea dicit quae admirationem veram et internam excludunt, ut rationes modo adductae bene probant; ita e. g. expresse dicit admirationem dictam esse de Christo ab evangelista, pro laude; quo, nescio quid clarius dici possit.

(5) Post verba Augustini ex epistola (162) citata, ait: “Quod non sic intellige quasi non fuerit admirationis proprie dictus, sed quia ad secundum illum modum pertinet desiderium laudandi rem quam ut insolitam quis admiratur”. In *Sum. Theol.* 3, XV, 8. Similiter alii ut Vasquez, Suarez (l. c.). Liceat a Sylvio querere: numquid ad primum admirationis modum non pertinet etiam “desiderium laudandi rem quam ut insolitam quis admiratur”?

Objicies. — Stus. Augustinus “*De diversis quaestionibus 83 liber unus*”, q. 80, n. 3 (M. 40, 91) ita arguit contra apollinaristas: “Eum (Christum) indicant habuisse animam affectiones illae quae non possunt esse nisi in anima, quas nihilominus eisdem evangelistis narrantibus legimus. Et miratus est (Mt. VIII) et iratus (Mc. III) et contristatus (Mt. XXVI) et exhilaratus (Jo. XI), et multa alia talia innumerabilia... Non enim possunt dicere (apollinaristae) etiam in veteribus libris dictam esse iram Dei et laetitiam et nonnullos hujus generis motus, nec ideo tamen esse consequens ut Deum habuisse animam credendum sit. Dicta sunt enim illa propheticis imaginationibus, non narratoria manifestatione”. — Super quae verba ait Lugo “*De incarnatione dominica*” *Disp. 22, sect. 4* (Lugduni, 1646, pag. 336) — “Ex eo quod Christus miratus sit probat (Augustinus) eum habuisse veram animam humanam; quod non potest nisi ex propria admiratione colligere. Quare verissimile est eum in hoc punto, non retinuisse semper eamdem sententiam”.

Resp. — Quidquid sit de vi et sensu hujus textus, certe praevalent contra eum ad mentem Augustini definiendam alii tot et tam certi modo allati, in quibus saepe data opera, haec quaestio tractatur. Ad summum ergo dicendum esset Augustinum in hac re a sua declinasse sententia, ut sobrie et juste concludit objectio. Sed nihil videtur nos cogere ut hoc admittamus. Notetur Augustinum in hoc loco arguere contra apollinaristas non praecise ex admiratione (6) sed ex pluribus etiam aliis affectibus *complexive*. Probabile aliunde est adversariis apollinaristis non ita claram fuisse, sicut acutissimo Augustini ingenio, impossibilitatem verae admirationis in Christo. Quo posito, suspicari licet quod Augustinus hic plura congescit ex quibus aliqua vim non habent nisi ad mentem adversariorum; ipse tamen indistincte adhibet diversa. Nec oportebat de admiratione tacere quae primo intuitu, et magis, fortasse, ad mentem adversariorum, magnificum praebebat argumentum; nec de ratione admirationis in Christo adversarios instruere. Ipsi vidissent! Ceterum etsi apollinaristae (aut quidam eorum), admirationem veram in Christo non admisissent, argumenti augustiniani vis integra manebat in aliis affectibus fundata.

Hanc autem suspicionem (aut aliam similiter rationalem) admittendam esse recta exegesis postulat, ne Augustinus sibimetipsi contradicere, absque necessitate, dicendus sit.

Mens Sti. Thomae

De admiratione saepe loquitur Stus. Thomas ejusque causas et effectus determinans. (Cf. e. g. 1-2, q. 32, a. 8; 1-2, q. 41, a. 4, ad 4 et 5; 1, q. 105, a. 7;

(6) Stus. Thomas (*Centra Gent.* — 1. infra afferendo) imitatur hanc Augustini contra apollinaristas argumentationem, ipse tamen, omissis aliis affectibus, ex sola admiratione

In 4 sent. d. 48, q. 1, a. 3, ad 2; *De veritate*, q. 26, a. 4, ad 7, etc.). Tria sunt tamen loca praecipua, in quibus de Christi admiratione expresse agit, suam mentemclare aperiens.

a) En primus locus:

"Admiratio non cadit in Deo: quia non fit nisi ex ignorantia causae, quae non potest esse in Deo. Item est apprehensio magnitudinis effectus quod fit ex imaginatione et phantasia alicujus effectus magni; et sic potest cadere etiam in Christo: unde admiratus est, idest magnum reputavit: et hoc turbis sequentibus ostendit, et commendavit eum: unde sequentibus se dixit: *Non inveni tantam fidem in Israël*". *Comment. in Mt. VIII, 10.*

b) Praecipuus locus exstat in *Summa Theologica* (3, q. 15, 8) ubi data opera quaerit "*Utrum in Christo fuerit admiratio*" et ita respondet:

"Admiratio proprie est de aliquo novo et insolito. In Christo autem non poterat esse aliquid novum et insolitum quantum ad scientiam divinam qua cognoscebat res in Verbo, neque etiam quantum ad scientiam humanam qua cognoscebat res per species inditas; potuit tamen aliquid esse sibi novum et insolitum secundum scientiam experimentalem, secundum quam sibi poterant quotidie aliqua nova occurrere. Et ideo si loquamur de seipso quantum ad scientiam divinam, et scientiam beatam vel etiam infusam, non fuit in Christo admiratio, si autem loquamur de eo quantum ad scientiam experimentalem, sic admiratio in eo esse potuit: et assumpsit hunc affectum ad nostram instructionem, ut scilicet doceat esse mirandum quod etiam ipse mirabatur. Unde dicit Augustinus in l. *Super Genes. Contra Manichaeos* (c. 8. ad finem): "Quod mirabatur Dominus nobis mirandum esse significat; quibus adiuc opus est moveri. Omnes ergo tales motus ejus non perturbati animi signa sunt; sed docentis magistri.

Ad primum ergo dicendum quod licet Christus nihil ignoraret, poterat tamen aliquid de novo occurrere experimentali ejus scientiae ex quo admiratio causaretur."

c) Tandem in *Summa contra Gent.* (lib. IV, c. 33, n. 4) arguit contra Apollinarem his verbis:

"Cum secundum Apollinarem verbum Dei sit verus Deus, ei admiratio competere non potest, nam ea admiramus quorum causam ignoramus. Similiter autem nec admiratio animae sensitivae competeteret cum ad animam sensitivam non pertineat sollicitari de cognitione causarum. In Christo autem admiratio fuit sicut ex evangelistis probatur: dicitur enim quod audiens Jesus verba Centurionis miratus est. Oportet igitu praeter divinitatem Verbi et animam sensitivam in Christo aliquid ponere secundum quod admiratio ei competere possit, scilicet, mentem humanam."

Verba Sti. Thomae in *Comment. in Mt.* mentem redolent Augustini et facile cum ea conciliari possent; non sic alia, praesertim quae in S. Theologica habentur. Quid igitur? Aut Aquinas commentans evangelium noluit suam inti-

procedit. Jure quidem! cum in ejus sententia admiratio, sufficiens et absolutum praebeat argumentum; Augustino autem non sic, ideo et alios invocat affectus ut perficiat argumentum.

mam exprimere theologicam sententiam, sed illam expressit quae utpote Augustini auctoritate commendata, a plerisque tunc reciperetur, aut modo locutus est vago, quo nec unam nec alteram exprimeret, aut tandem fortasse tunc temporis, Stus. Thomas nondum illam definitive sententiam assecutus fuerat quam postea in *Summa Theologica* expressit, sed Augustiniana sententia, ut plures alii, ferebatur.

Verba ex *Summa contra Gent.* excerpta, primo intuitu videntur negare simpliciter admirationem haberi posse in anima sensitiva. Quod infra ostendemus verum non esse. Verba itaque Sti. Thomae non absolute accipienda sunt, sed pro subjecta materia et quatenus exigit, ut consistat, argumentatio quam agit contra apollinaristas; ita scilicet, ut de illa sola admiratione loqui dicendum sit Stus. Thomas, de qua loquitur Evangelium; quae quidem animae sensitivae non competit, quia est de re suprasensibili, de fide nempe, centurionis, ejusque causis. Unde ipse Stus. Thomas in *Summa Theol.* admirationem inter passiones proprie dictas connumerat, et in *Comment. in Mt.* expresse admitit ipsam in apprehensione imaginationis et phantasiae fundari.

Non desunt qui sententiam Sti. Thomae cum Augustini sententia conciliare conentur e. g. Cornelius a Lapide. Imo ipse Stus. Thomas verba Augustini in *Summa Theol.* affere non dubitat, potius tamen, ita putamus, ut compleat extrinsece quam ut confirmet suam sententiam. Mens autem Sti. Thomae sat obvia esse videtur in admittenda in Christo propria veraque admiratione; atque ita intelligitur Stus. Thomas a sequentibus se theologis, qui quidem, ut diximus, multum in eo laborant ut inveniant in anima Christi, vi scientiae experimentalis, aliquid novum et insolitum, ex cuius apprehensione oriatur admiratio. Ratio sufficiens (alia praetermitto) videtur esse quod consequenter ad scientiam superiorem, impossibile putat Stus. Thomas Christum admirari, possibile autem secundum inferiorem. Jam vero admiratio impropria, seu objectiva, aut mera accommodatio exterior (ad mentem Sti. Augustini), non repugnat haberi in Christo consequenter ad scientiam ejus superiorem humanam, imo nec divinam. Veram igitur admirationem, subjectivam, proprie dictam, concedit animae Christi Stus. Thomas; quam, ut supra diximus, negat Stus. Augustinus. Nota etiam quod admiratio quam in Christo concedit Augustinus talis est ut "ratio manifesta sit admiranti" (*Epist. 162*); e contra Aquinas praecise ad scientiam Christi experimentalem recurrat, ut aliquo modo inveniat in re mira aliquid admiranti non undequaque manifestum, ex cuius nova apprehensione oriatur admiratio.

Posset quis suspicari Stus. Thomas admirationem Christo veram et propriam concedere tantum in parte sensitiva, ortam nempe ex experientia in imaginatione non autem in intellectu. Commendaretur haec suspicio a) quia Stus. in *Summa Theologica*, ubi Christo concedit admirationem, agit de passionibus pro-

prie dictis, i. e. in parte sensitiva et nonnisi a q. 18 agit de parte superiori; b) textu *Commentarii in Mt.* Sed obstant graviter verba expressa in *Summa contra Gentes*.

Alia ex Sto. Thoma circa admirationem in genere, et specialiter in Christo, occurrit in decursu hujus disquisitionis.

Admirationis natura, species et causae

Admiratio, affectus quidam cum sit, formaliter pertinet ad appetitum, et a Sto. Thoma (1-2, XLI, 4) inter passiones recensetur; proindeque, (obiter notatus), ubi in Christo admittenda esset, iisdem subjiceretur regulis quibus aliae in Christo passiones subjiciuntur (Cf. 3, XV, 4). Cum tamen ea quae ad appetitum pertinent minus nota nobis sint, admirationis conceptum potius tractanduni aggredimur ex parte intellectus, in quo habetur radix, seu motivum formale admirationis. Ceterum, admirationis *affectum* saepe apud nos experimur, et praeter ea quae de ipso propria experientia cognoscimus, nec inquisitio scientifica multum afferre, neque haec nostra elucidatio exigere videtur.

“Admiratio ait Stus. Thomas, proprie est de aliquo novo et insolito”. Et revera ubi non intercedit cognitione nova, aut nihil novi exhibeat nostrae cognitioni, sed agatur de re jam antea perfecte cognita et considerata, haberi nequit admiratio. (Cf. textus supra ex Augustino allatos).

Novitatem rei mirae reducit Suarez ad hoc, saltem, quod novo modo cognoscatur; etiamsi hic novus modus cognitionis nihil novi exhibeat. Vasquez autem et hanc rejicit conditionem, “quia ille qui videt rem aliquam raram miratur, et desiderio sciendi causam eam inquirit et invenit, adhuc postea miratur”. Sed haec doctrinam Sti. Thomae non commovent. Fieri quidem potest ut res mira semel et iterum iterumque percepta, adhuc admirationem excitare valeat; sed hoc ideo est quia aut a) prius imperfecte nunc autem perfectius, aut novo aspectu apprehendatur, aut simpliciter quia de re ita magna agitur ut uno cognitionis ictu, ut sic dicam, capi nequeat. Hinc efficitur quod objectum infinitae perfectionis (cogita pulchritudinem illam tam antiquam et tam novam) aeternam valeat producere admirationem, quia in eo novitas habetur inexhaustibilis. Et ex hac parte, jure theologi ponunt quod “beati mirantur semper Deum, quem assidue vident” (Lugo, o. c., n. 47 (7)). Aut etiam b) quod antea res mira habitua-

(7) A Lugone tamen dissentimur assignante rationem admirationis beatorum, his verbis: “quia licet visio non sit jam nova, semper tamen objectum excedit captum naturalem cognoscentis, qui ideo miratur quia advertit, quantum distet Deus, in se a toto illo, quod ipse beatus proprio discursu, et lumine poterat de Deo cogitare”. Ipsa enim infinitas Dei, quae ideo omni beato essentialiter incomprehensa manet, sufficiens praebet fundamentum aeternae novitatis et jugis admirationis, nec opus beato est comparationem instituere ad ea quae naturali scientia cognovit de Deo. Qua quidem comparatione instituta, adhuc beato deesse

liter nunc autem actualiter cognoscatur. Ad rem Lugo: "Miramur solem et mare quia aliquo modo cognoscimus ea objecta de novo, quatenus per attentionem ad alia, aversa fuerat per aliquod tempus cogitatio nostra ab ipsis; unde quando convertimur ad ipsa, fatemur excessum eorum supra nostram scientiam quam prius habebamus" (o. c., n. 48).

Et revera magnopere considerandum est intellectum nostrum esse *abstractivum* nec semper in actu circa ea omnia quae cognoscit; unde fieri potest ut res excellens nobis perfecte cognita, de novo in mentem veniens, admirationem quamdam, saltem primo intuitu producat, quatenus antea aut ex toto aut ex parte, a nostra aberat actuali cognitione. Hinc explicares casus quamplures admirationis, super quos theologi quidam suas aedificant sententias, de quibus infra erit sermo. Cogita etiam casum (si tamen est casus verae admirationis) illius architecti, qui aedificium a se constructum et ipse miratus fuisse dicitur, cum absolutum aspexit.

Notanda est etiam *vis consuetudinis* in intellectu. Ideae de rebus magnis et extraordinariis, quarum rationem assecuti jam sumus, non ita *quiescunt* in intellectu sicut ideae de rebus ordinariis, sed propter desuetudinem non pacifice sed violenter (ut sic dicam) in intellectu recipiuntur, usque dum novis apprehensionibus accendentibus, intellectus ad eas veluti adaptatur; sed interea semper quamdam novitatem prae se ferunt, et ideo admirationem excitare valent. Cogita e. g. statum psychologicum Apostolorum, Christum redativum videntium, aut certis testimoniis ejus resurrectionem scientium. (Lc. XXIV, 41) (8).

Alia conditio quam admirationi assignat Stus. Thomas, insolentia nempe rei mirae, potest etiam et ipsa dupliciter intelligi: a) quoad existentiam, quod nempe res non frequenter occurrat; b) quoad essentiam, quod nempe res sit talis magnitudinis, ut emineat inter alias quae occurront. In primo sensu, insolentia vix distinguitur a novitate, prout supra explicata est; sumpta in alio sensu, importat conditionem omnino essentialis, sine qua admirationis affectus nullatenus concipi potest; res enim quae extraordinarii nihil habet, admirationem excitare non valet, ut in terminis ipsis constare videtur. Unde etiam et hic secundus insolentiae sensus ad novitatem aliquo modo reducitur, quatenus res magnae ideo in

putamus fundamentum verae admirationis, nisi ejus scientia beata a divina essentia superaretur. Ceterum haec a Lugone extorqueri videntur, ut cum ejus explicatione cohaereant circa admirationem in Christo.

(8) "Perseverantia consuetudinis amisit admirationem; sicuti sunt quae vel brevissimis vel certe non longis intervallis temporum, coelo, terra, marique mutantur, sive nascentibus sive occidentibus rebus, sive alias alter atque alter apparentibus; alia vero quamvis ex ipso ordine venientia, tamen propter longiora intervalla temporum minus usitat. Quae licet multi stupeant, ab inquisitoribus hujus saeculi comprehensa sunt, et progressu generationum, quo saepius repetita, et a pluribus cognita eo minus mira sunt. Sicuti sunt defectus luminarium, et raro existentes quaedam species siderum, et terraemotus, et monstruosi partus animantium, et quaecumque similia". Stus. Augustinus. *De Trinitate*, lib. III, c. 2, n. 8 (M. 42, n. 871).

nobis admirationem excitant, quia intellectus noster ad alia minora assuefactus. cum magna apprehendit, novitate percellitur quam in magnis p[re]ordinariis percipit. Hinc est quod cessante novitate rerum magnarum per frequentem apprehensionem aut considerationem earum, cessat etiam earum vis admirationem excitandi. Quapropter nec mare nec solem ordinario mirantur illi qui jam diu et solem et mare conspicere consueverunt; multo adhuc minus admiraretur quis rem etsi magnam et extraordinariam quam sub ejus actuali apprehensione a longo tempore et jugiter haberet. Ad rem, Lugo: "Ad hoc genus admirationis ortae ex excessu objecti supra alia objecta quae communiter cognoscuntur, requiritur, quod non versetur semper ante oculos objectum illud, quod admiramur" (o. c., n. 48). Hinc etiam efficitur, quod magnitudo sive absoluta sive relativa rei cognitae non sufficiat per se solam ad admirationem gignendam, nisi notam novitatis afferat cognitioni admirantis; et propter hoc Deus qui res magnas et absolute et relative tales perfecte cognoscit, admirationem non patitur, quia divinae cognitioni nihil novi advenire potest. Quod quidem jam ex hoc nunc notatum velim; sunt enim quidam theologi qui hanc fundamentalem rationem praetermittentes, admirationem Deo abjudicant ex aliis capitibus quae non satis apta esse videntur. "In Deo non habet locum admiratio ait Suarez (l. c.), tum quia illi nihil est magnum, etiam in ordine ad alios, quia quidquid ab aliis fit, ab illo fit, et facile illi est, etiam per alios, magna operari; tum etiam quia nihil novo modo cognoscit". Horum, inquam, non sufficit primum, quia ubi res vere magna et inter alias excellens habeatur, Deus qui omnia perfecte novit in eorum valore objectivo, cognoscit rem illam ut vere magnam relate ad alias; quod, quidem, juxta ipsum Suarez, sufficiens est fundamentum admirationis; sed nec prodest secundum (de quo infra plura dicentur) etenim adhuc dato quod Deus novum cognitionis modum suscipere posset, ad excitandam in Ipso admirationem requireretur ut hic novus modus cognitionis non tantum subjective sed etiam objective novus esset, i. e. quod divinae cognitioni aliquod novum elementum afferret.

Omnibus ergo modis, ad plenitudinem scientiae divinae recurrendum est, ut admirationi in Deo obstaculum fundamentale assignare possimus.

Itaque admirationis affectus causatur in nobis ex apprehensione rei a nostris conceptibus aliquo modo alienae, quae ideo mira nobis appetit et extranea. Attende tamen et distingue. Potest enim agi de re quam prius ignorabamus, aut non considerabamus, vel ex toto vel ex parte, aut quovis alio modo nostris conceptibus superiori; et potest agi de re magna et extraordinaria sive absolute sive relative, ita ut sit inter alias, quae passim occurrent, aliquo modo excellens, non tamen nobis ignota, aut nova ullo pacto, aut conceptibus nostris superior. Differentia notanda est inter utrumque modum, quod in priori casu, necessario ponitur in admirante quaedam *ignorantia* sive actualis sive habitualis, vel si mavis, cognitio aliquo modo imperfecta, aut potius superioritas quaedam objecti miri

relate ad conceptus mirantis (Cf. Lugo, o. c. n. 44); in alio autem casu, superioritas objecti non habetur nisi quoad alia objecta quae cognoscit subjectum mirans, non autem quoad subjectum ipsum, aut quoad ejus conceptus. Prior admiratio quia fundatur in conditionibus subjecti mirantis potest dici *subjectiva*, et ea est quam proprie et communiter admirationem vocamus; alia autem potest *objectiva* nuncupari, et eam nonnisi improprie admirationis nomen obtinere, jam nunc appareat, et infra ostendemus.

Superioritatem quam res mira exigit habere relate ad subjectum mirans, Vasquez non ad conceptus, sed ad *potentiam* mirantis vult referri, quatenus "qui videt aliquid factum ab alio non miratur si ipse possit idem aequali facilitate et dexteritate facere, in eodem statu constitutus" (Apud Lugo, n. 40) (Cf. 3. XV. 8 ad 3). Posset tamen haec explicatio ad nostram reduci, quatenus mirans ideo miratur opus quod ipse perficere non valet, quia aliquo modo potentiam aliorum ex sua mensurat potentia, et ideo putat alios in simili statu constitutos non posse similiter. Quod si potentiam agentis objective perfecteque perspiceret adaequationemque ejus ad effectum, impossibilis evaderet admiratio, nisi mere objectiva. Admiratio itaque directius refertur ad conceptus quam ad potentiam mirantis. Interdum, non diffitemur, admirationem videmur accipere ex relatione ad nostram potentiam, quae superatur a re mira; ita fit quoties admiratio habetur ex artefacto extraordinario; sed tunc appareat bene perspicienti, potentiam nostram non sumi praecise ut potentia est, sed quatenus cognita per experientiam, juxta ipsam efformamus criterium ad potentiam aliorum dimetiendiam. Hinc est quod admiratio dari potest etiamsi res mira non sit supra vires nostras, dummodo sit supra ideas quas de re illa habemus; puta casum pueri vi et scientia extraordinarii, qui adulto admirationem affert, quamvis hic, et pro nunc et pro ejus pueritia, eadem vi et scientia polleret; quia hic adultus in casu, cum se reputat extraordinarium, potentiam aliorum puerorum minorem reputat et ideo admirationem capit ex pueru hoc extraordinario, non tamen sibi superiori quoad potentiam.

Aliae hujus rei explicationes et distinctiones (Cf. e. g. Gotti, *Theologia scholastico-dogmatica*, vol 3, pag. 42, n. 13; Lugo, o. c., n. 39, etc.) quatenus admittendae, ad nostram reduci, aut cum ea facile conciliari possunt.

Admirationem mere objectivam Christo competere ratione cuiusvis scientiae etiam divinae, omnibus indubium est, quum non sit aliud quam cognitio et ponderatio exacta rerum et absolute et relative sumptuarum. Haec autem appetitatio rerum justa, evidenter nullam importat ignorantiam aut imperfectionem, sed perfectionem simplicem. Et ita, ut supra vidimus, Stus. Augustinus interpretans verba ex Genesi 1, 4, contra manichaeos saepe concedit possibilem talem admirationem in Deo, sicut et in Christo. Tota igitur nostra quaestio ad sub-

jectivam seu proprie dictam admirationem restringitur; utrum, nempe, possit dari in anima Christi.

Constat objectivam admirationem vix nomen obtinere admirationis, et non nisi sensu analogo et impropio ita vocari posse, eo nempe sensu apud theologos notissimo, quo humani affectus de Deo praedicantur (Cf. I, XIII, 3). Sed ubi agitur de exprimendis humano modo affectibus Christi quibusdam, aut de aliis quae nostra humana locutione Deo ipsi tribuimus, opus est vocabula nostra, etsi improppria adhibere; deest enim nobis vocabulum proprium, cum tales affectus et experientiam et litteraturam nostram excedant. Jure igitur in Evangelio Christus diceretur admiratus cum laudavit fidem extraordinariam Centurionis perinde ac miratus, etiamsi vere et interne admirationem expertus non fuisset.

Saepe ponit Stus. Thomas admirationem ex ignorantia derivari (Cf. e. g. I-2, XXXII, 8; I, CV, 7; etc.). Quod quidem supra cum ipso et Augustino statuimus. Interdum tamen videretur docere contrarium (e. g. 3, XV, 8. ad 1). Similiter et apud theologos, tam veteres quam hodiernos, saepe occurrit affirmatio quod admiratio potest haberi vera et propria sine ignorantia (Cf. e. g. Cajetanum. In 3, XV, 8; Suarez, Sylvium, c.; Billot, *De Verbo incarnato*, thes. 21). Sed oppositio ad verba tantum, non ad conceptus, transcendere videtur. Dupliciter enim potest dici ignorantia: a) in sensu stricto, quatenus res mira subjecto miranti prius ignota esset; b) in sensu largiori, quatenus etsi prius non totaliter ignota, non tamen perfecte cognita esset. Distingue ergo ignorantiam strictam a cognitione imperfecta, et omnia bene cohaerent si dicimus non quidem illam, hanc autem semper requiri ut subjectiva possit haberi admiratio. Et revera, illi intellectui cui accedit cognitio rei novae, non erat undeque perfectus; deerat enim ipsi aliqua cognitio. Si ergo novitas rei cognitae est de essentia admirationis, pariter et imperfectio intellectus mirantis respectu rei mirae; hanc autem imperfectionem, vocabulo minus stricto, dicimus ignorantiam.

Ceterum haec ad expoliendos conceptus dicta sunt. Theologorum ponentium in Christo admirationem, quidam ignorantiam rejiciunt ut causam admirationis necessariam, quia ignorantiam in Christo concedi non posse putant, e. g. Billot (o. l. c.); alii autem ignorantiam non verentur confiteri in Christo secundum scientiam inferiorem, et pro aliquo vitae ejus tempore, e. g. Pesch (o. c., n. 237); re enim vera, si "secundum scientiam acquisitam Christus non a principio scivit omnia, sed paulatim et post aliquod tempus" (3, XII, 2, ad 1); ergo pro aliquo vitae suae tempore quaedam ignorabat secundum eamdem scientiam. Quaestio itaque est de nomine. Ne autem argumentationem nostram in hac diversitate loquendi fundare videamus, ad aequivoca vitanda et ut status quaestionis presse definiatur, ita procedemus ut statuamus admirationem (quaecumque tandem sit ejus causa) quam Christo non competere secundum beatam scientiam omnes factentur, neque secundum experimentalem posse in ipso generari.

Admiratio sensitibilis

Admiratio, ut diximus, est affectus in appetitu consequens apprehensionem rei novae et insolitae; cum autem in homine duplex sit appetitus, consequens duplum cognoscendi modum, sensibilem nempe et rationalem, duplex etiam admittendus est admirationis affectus: alius consequens apprehensionem rationalem et inhaerens voluntati, alius consequens cognitionem sensibilem et inhaerens appetitui sensitivo.

“Ea admiramus, ait Stus. Thomas (*Contra Gent.*, l. c. et passim), quorum causam ignoramus”. Quae quidem doctrina ex Aristotele derivata (cf. 3, XV. 8, 1) et apud theologos recepta, non sic intelligenda est ac si in omni admiratione importaretur essentialiter et formaliter desiderium sciendi causam incognitam, cognito effectu. Quod si ita res se haberet, non posset dari admiratio pure sensitibilis, sed solummodo rationalis; nam ad partem rationalem exclusive pertinet de causa ex effectibus inquirere; imo ipsa perceptio causalitatis supra-sensibilis esse videtur. Attamen “non est universaliter necessarium quod omnis qui admiratur desideret scire causam, sed ut in plurimum, quia frequenter intervenit ignorantia praesens causae” (Lugo, o. c., n. 51).

Ceterum expresse probatur dari admirationem in parte sensitiva, ex eo quod habetur in ipsa apprehensio cognoscitiva et appetatio differentiae quantitatis in diversis objectis apprehensis, puta majorem vel minorem lucem oculus, aut imaginatio; cognitioni itaque sensitivae possunt exhiberi objecta nova et insolita, quae in appetitu proprio excitent admirationem. Accedit quod, experientia teste, objectum sensibile apprehensum ut novum et insolitum, excitat in parte sensitiva majorem attentionem, quae est effectus admirationis. Denique haec omnia locum habere in parte etiam sensitiva, experientia nostra et apud bruta luculenter testatur. (Cf. Suarez, l. c.).

Imo possibilis videtur admiratio in parte sensitiva cui non respondeat parallelus admirationis affectus in parte intellectiva, et vice-versa. “Admiratio, enim, ut ait Stus. Thomas, est de rebus sensui manifestis”. Quod quidem maxime valet in praesenti materia, cum in Christo admiratio non secundum scientiam pure spiritualem, sed solummodo secundum experimentalem attendi possit. Res, itaque nova et insolita, quum novitate sua et insolentia nostros percellit sensus, non potest non excitare affectum admirationis in appetitu sensitivo, cui comitantur effectus phisiologici, ut expressio vultus et aliae immutationes quae admirationis sunt propriae. Deinde species intelligibilis, educta e cognitione sensitiva ope intellectus agentis, perveniens ad intellectum possibilem, producit ibi parallelo modo, vi suae novitatis et insolentiae (si tamen nova et insolita est etiam in ordine rationali), affectum admirationis connaturalem in appetitu superiori.

Potest tamen fieri ut scientia quam habeat jam praevie intellectus (sive naturalis sit scientia, sive alia forte adsit supernaturalis) impedit affectum admirationis, quatenus vi hujus scientiae species intelligibilis de novo ex sensatione educta, nihil novi et insoliti exhibeat intellectui, quod hic non perfecte jam cognoscat et videat. Quo in casu haberetur vera propriaque admiratio sensibilis, non autem rationalis, nisi impropria. Hunc autem casum, juxta infra dicenda, non semel in Christo locum habuisse putamus. In eo enim, non secus ac in nobis, immo potius quam in nobis propter acutiorem vim percipiendi, erat facultas sentiendi res corporales et appretiandi eas. Ubi ergo exhibebatur sensibus Christi res sensibiliter magna et insolita (quod non semel in vita Christo accidiese putandum est) ibi excitabatur in Christo sensibilis admiratio; in ordine, autem spirituali, admiratio excitari nequivat, propter plenitudinem scientiae, ut infra ostendemus.

Item dari potest admiratio rationalis, quin praecedat aut comitetur parallela in parte sensitiva. Puta e. g. casum Centurionis (Mt. VII) cujus verba ad Christum nihil fortasse mirandum efferebant in ordine pure sensibili (v. g. sonus, intensitas vocis, etc.); multum autem in ordine intellectuali.

Pro sententia Sti. Augustini argumentatio

Fundamenti instar praemittenda sunt quaedam quibus nostra innititur argumentatio; quaeque semel statuta in decursu hujus disquisitionis praesupponentur. Breviter tamen statuenda sunt, tum quia ad hanc rem nostram ex Christologia supponuntur explicata et demonstrata, tum etiam quia alibi (*De scientia Christi*) enucleatus et data opera tractantur. Itaque praemissa, ut theologice certa, affirmatione de existentia beatae scientiae in anima Christi, ab initio suae existentiae, dicimus:

a) Praeter divinam essentiam, "anima Christi in Verbo cognoscit omnia. Unusquisque enim intellectus creatus in Verbo cognoscit, non quidem omnia simpliciter, sed tanto plura quanto perfectius videt Verbum. Nulli tamen beatorum deest quin cognoscat in Verbo omnia quae ad ipsum spectant. Ad Christum autem et ad ejus dignitatem spectant quodammodo omnia, in quantum ei subjecta sunt omnia" (Stus. Thom. 3, X, 2).

Speciatim ea quae ad fidem Centurionis, ejusque causas et conditions spectant, Christum in Verbo cognovisse indubitatum est, cum ad ejus munus Salvatoris directe spectet fides salvandorum. Imo ipsa Christi humanitas sicut fuit principium (Divinitate conjunctum) redemptionis, ita etiam principium est quo gratia, et in primis fides, gignitur in cordibus fidelium; principium, dico, vivum et humanum, quod humano modo, i. e. non caece sed consciente, per intellectum, nempe, et voluntatem operatur.

Similiter ea omnia quae ad Christum ipsum personaliter spectant, ab ipso

in Verbo percipiebantur, ut constat de quolibet beato. Itaque totus processus experimentalis scientiae, quam Christus decursu vitae acquisivit, species et impressae et expressae, et omnes ejus effectus et causae et modalitates, uno verbo quidquid ad scientiam ejus acquisitam tam objective quam subjective, directe aut reflexe pertinebat, a Christo in beata visione percipiebatur.

b) De claritate visionis beatæ et intensitate, satis sit in praesenti dicere quod longe superat aliam quamcumque cognitionem nostram tam possibilem quam actualem, et speciatim hanc quam in praesenti statu habemus ex sensibus acceptam.

c) Beata cognitio nunquam cessat ab actu ut sit habitualis tantum, sed "una et continua et sempiterna operatione in illo beatitudinis statu, mens hominis Deo conjungitur" (I-2, III, 2, ad 4) (9).

d) Scientia beatæ et scientia acquisita sunt quidem duae scientiae specie diversæ, sed pertinent ad idem subjectum, nempe intellectum humanum Christi. Itaque ipse intellectus Christi qui in speciebus sensibili experimento acquisitis rem cognoscit, simul rem eamdem et in essentia divina videt; haecque identitas subjecti intelligentis clare in conscientia Christi percipitur. Scientiae igitur beatæ et acquisita non sunt ad invicem undeque independentes, sed quasdam habent inter se relationes, quas exigit unitas subjecti intelligentis et consci. Quae autem sint hæc relationes, quidque inde sequatur in ordine ad progressum et efficaciam psychicam scientiae experimentalis in Christo, alibi (*De scientia Christi*) dicimus (10).

e) Christum potuisse vere proficere in scientia experimentali et ideo novas in dies species acquirere, cum Sto. Thoma (3, XII, 2) hic supponimus, et alibi enucleate exposuimus (*De scientia Christi*). Quod si quis cum quibusdam antiquis, contrarium teneret ponens scientiam Christi omnem, etiam experimentalē, ab initio plenam et perfectam (Cf. Pesch, n. 274) et ideo augmenti et novitatis incapacem, posset videri coactus ad negandam in Christo possibilem admirationem. Adhuc tamen consideranti ea quae supra scripsimus, non ita difficile erit ex uno vel alio capite, praesertim ex eo quod haec scientia sit abstractiva, possibilitatem alicujus admirationis concedere.

(9) Non desunt theologi, ut Scotus (*In 3 Sent. dist. 14, q. 2, n. 20*) qui negant simultaneitatem totius objecti secundarii beatæ visionis in Christo. Nos quidem Sto. Thomae adhaerentes, hoc rejicimus statuentes scientiam beatam necessario simultaneam quod totum suum objectum. (Cf. *De scientia Christi*). Quod si quis doctrinam tenens Scoti, applicat eam ad fidem Centurionis dicatque Christum pro eo tempore fidem Centurionis non vidiisse actu in essentia divina, vitaret inconveniens potissimum quod, juxta infra dicenda, impedit in Christo admirationem. Adhuc tamen restarent obstacula ex infusa scientia, et ex claritate relicta in anima Christi ex visione beata anteriori (2-2, CLXXV, 4, ad 3). Quae quidem obstacula absolute insuperabilia non videntur. Sed quia haec hypothesis scotistica a nobis non admittitur, ab ea ulterius examinanda pro nunc abstinemus.

(10) Scientiam infusam hic perpendere omissimus, quia impedimentum quod ipsa esset animae Christi ad admirationem capiendam, habetur fortius ex parte visionis beatæ, propter ipsius majorem claritatem et jugem actualitatem.

His itaque praelibatis, audiatur Stus. Thomas quaestionem scite proponens et solvens: "Admiratio proprie est de aliquo novo et insolito. In Christo autem non poterat esse aliquid novum et insolitum quantum ad scientiam divinam qua cognoscebat res in Verbo, neque etiam quantum ad scientiam humaram qua cognoscebat res per species inditas... Et ideo si loquamur de seipso quantum ad scientiam divinam et scientiam beatam et etiam infusam, non fuit in Christo admiratio" (*Summa Theol.*, I. c.). Et in hoc omnes theologi conveniunt. Addit tamen Stus. Thomas: "potuit esse sibi aliquid novum et insolitum" secundum scientiam experimentalem, "secundum quam sibi poterant quotidie aliqua nova occurrere... et sic admiratio in eo esse potuit". Haec tamen Sti. Thomae ultima assertio non ita clara est sicut prior, nec solidae rationes deesse videntur quibus vera et subjectiva admiratio, etiam secundum experimentalem scientiam, Christo abjudicetur.

In tantum enim prodesset ad hoc experimentalis Christi scientia, in quantum ejus intellectui aliquid novum exhibere posset, ut bene statuit Stus. Thomas. Ast quantumcumque laboraret acquisita scientia, nihil tale posset Christo praestare. Scientia enim beata exhibebat intellectui Christi, ab initio vitae, quidquid scientia acquisita per decursum vitae accepit ex sensibilibus, ita ut non tantum fidem Centurionis, ejusque causas et theologicas et psychologicas, et absolute et relate ad alios coetaneos in Israël perspectas haberet, sed etiam ipsa verba Centurionis et speciem sensibilem et intellectualem inde acquisitam, affectusque inde exortos in ejus anima, totum nempe processum (tam objective quam subjective) cognitionis experimentalis circa fidem Centurionis; haec omnia, inquam, cognoscebat non habitualiter tantum aut obscure sed actualiter et clarissime, a pluribus annis, ab initio vitae!

Accedit quod et *causavit* ipse fidem in anima Centurionis, et quidem ut agens intellectuale, quod praevie intelligit et vult ea quae operatur; ita ut nihil fidei et gratiae, nec unus apex, inerat Centurioni, quod ipse Christus ut homo, non prius mente concepisset, voluisse producere, tandemque produxisset.

Cum ergo notitia fidei Centurionis ad intellectum Christi, via experimentalis perveniebat, nihil novi afferebat, imo longe plura et clariora sciebat Christus quam quae poterat ipsi praebere quaelibet etiam accuratissima experientia, sub actione acutissimi intellectus agentis. Ubi autem nihil objective novum percipitur, quantumvis nova subjective habeatur perceptio, impossibile est, juxta supra traditam Sti. Thomae doctrinam, ut habeatur veri nominis admiratio.

Idem habetur, si aliam admirationis conditionem a Sto. Thoma statutam consideremus, insolentiam dico, rei mirae. Supra jam diximus, hanc secundam conditionem, quatenus vera admirationis conditio est, a prima vix differre; adhuc tamen in ejus proprio conceptu sistentes, ostendere possumus vim nostrae argumentationis. Insolitum enim, eatenus admirationem parere valet, quatenus in

ipsum non ferebatur consideratio mentis; et eo minus excitat admirationem quo frequentius et perfectius in considerationem admirantis veniebat, juxta nota effata: *assueta vilesunt; ab assuetis non fit passio.* Et ita rem valde mirabilem, puta mechanismum auto-mobilis, aut machinae vaporis, etiam phaenomena naturae insignia, velut ortum solis et occasum, non semel tantum, sed iterum iterumque miramur, ex defectu tamen prioris perceptionis, ut supra explicatum est: sed frequentia, et a fortiori jugis continuatio perceptionis admirationem minuit, imo tandem aliquando dissipat eam, ut experientia constat, nisi novae perceptioni adjungatur novitas quaedam in objecto nunc percepta. Atqui, rursum, intellectus Christi ab initio videbat perfectissime fidem Centurionis ejusque conditiones et causas et absolute et relative; et ab hac visione neque uno instanti per decursum vitae cessavit. Ergo cum via experimentali ipsam fidem cognovit, nihil insolitum (subjective) ipse exhibebatur, sed notitia erat ipsi familiaris a pluribus annis, jugiter considerata et plene perfecteque praevisa. Non potuit ergo in ipso excitare admirationem nisi mere objectivam.

Nota. — Haec nostra argumentatio nititur tota quanta est, in unitate intellectus humani et conscientiae Christi; qua semel statuta (et omnes eam fateri coguntur) nihil videtur prodesse hac in re distinctio illa inter scientiam superiorem et inferiorem. Quod quidem et nonnulli ex adversariis theologis sentire aliquatenus videntur, et propter hoc ulteriores excogitaverunt explications, ut Sti. Thomae sententiam sustinere possint. “Non sufficit ad admirationem concipiendam, ait Lugo, quod eventus aut ejus causa ignoretur a nobis per aliquam scientiam utcumque, nam si astrologus videat eclipsim, cuius causam ignorat per scientiam dialecticam: adhuc non mirabitur quia novit causam per astrologiam, quod sufficit ad impediendam admirationem” (o. c., num. 44). Quid autem si astrologus ille fuisset a pluribus annis eclipsim *videns*, et perfectissime jugiterque *videns*, et quoad omnes ejus causas et circumstantias *videns*? Ubi tunc esset admirationi locus?

Ut clarior pateat vis nostrae argumentationis, juvat eam *exemplo* confirmare. Ponamus Titium virum in studio operum artis eruditissimum, qui statuam quamdam apud se habet valde perfectam, eamque saepissime contemplatur, seduloque in ejus studio incubit, attingens omnes ejus lineas et formas; hocque jugiter perfecit per plures annos. Nunc autem exhibita ipsi est *imago photographica* ejusdem statuae. Potestne fieri ut *imago* haec *photographica* excitet in Titio admirationem propter ejus sculptas perfectiones? Sed hoc adhuc non satis. Ponamus praeterea Titium ipsum fuisse sculptorem, qui prius mente concipiens tandem propria manu et scalpro statuam formasset! Quaenam tunc possibilis esset admiratio ex visione imaginis *photographicae*?

Paritas hujus exempli illa sola ex parte impugnari posse puto, qua scientiae in Christo differunt specie, cum in Titio contemplatio statuae directa et in *imagine photographica*, sint ejusdem speciei cognitiones. Sed nota quod impossibilitas admirationis in Titio praescindit a diversitate vel identitate specifica utriusque

apprehensionis, et in hoc tantum fundatur, quod nempe, ipsi Titio qui statuam tam perfecte cognoscit, impossibile est ut vi alterius apprehensionis eadem statua ut quid novum exhibeat. Et ideo, sive prior cognitio esset specie diversa a subsequenti, sive non, dummodo intellectui Titii illuceat, impediet semper omnem veram admirationem.

Objicies. Singuli actus intellectus Christi, eorum naturali vi, suscitant in ejus voluntate affectus parallelos, diversis intellectionibus respondentes. Sicut igitur, beatae scientiae, propter ejus plenitudinem, respondet affectus quietis et gaudii, ita scientiae acquisitae respondere oportet affectum admirationis, qui scientiam acquisitam sponte consequitur, ubi res nova et insolita exhibeat.

Respondeo: Si scientia beata et experimentalis (et affectus ipsis scientiis respondentes) aliud et aliud subjectum, aut potentiam, in anima Christi habent, vim plenam assequeretur objectio. Nunc autem in Christo non nisi unus habetur humanus intellectus, utriusque scientiae subjectum, (et non nisi una voluntas humana). Est autem regula indeficiens, quod contraria in eodem subjecto simul esse non possunt. Ubi ergo ex scientia inferiori naturaliter exurgeret in voluntate Christi affectus quem non compatitur influxus scientiae beatae, talis affectus impeditur in voluntate, nec potest in ea suscitar, nisi cessante influxu impediente altioris scientiae.

Instabis. Affectus admirationis qui exurgeret in anima Christi ex scientia experimentali non est contrarius affectui suscitato per scientiam beatam, quia quamvis sint de eodem objecto, non tamen ipsum respiciunt sub eodem respectu, sed alius est respectus scientiae beatae, alius scientiae inferioris; aliis verbis; sunt de eodem sed non secundum idem.

Resp. Haec non videntur nisi lusus dialecticus. Ad cujus evidentiam notare oportet admirationem, utpote affectum, in voluntate subjectari, radicem autem sive causam formalem ejus haberi in intellectu apprehendente rem novam et insolitam. In intellectu autem Christi habebatur plena quaedam scientia, nempe beata; cui, proinde, repugnabat apprehensio rei ut novae. Transeat, igitur, si ita placet, num affectus admirationis et affectus quietis e scientia beata emergens, prout sunt in voluntate, formaliter opponantur, aut non; oppositio habetur, et quidem irreductibilis, in eorum causis formalibus, nempe in ipso formali motivo admirationis, prout ab intellectu influit in voluntatem.

Placet hanc nostram argumentationem doctrina Sti. Thomae expressa corroborare.

Quaerit Stus. Thomas (*Summa Theol.* 3, VII, 3) "Utrum in Christo fuerit fides" et respondet: "Objectum fidei est res non visa... Christus autem a primo instanti suae conceptionis plene vidit Deum. Unde in eo fides esse non

potuit". His verbis cohaeret multitudo unanimis theologorum (11). Nunc autem quaero: cur hic non introducitur distinctio illa inter superiorem et inferiorem scientiam Christi, negataque possibilitate fidei secundum priorem, conceditur secundum inferiorem? Etenim parallelismus adest perfectus; ratio, enim, quae juxta theologos, impedit in Christo fidem est beata visio, quae cum fidei sit opposita, eam non tantum intra ambitum ipsius scientiae beatae, sed etiam in sphaera experimentalis, impossibilem reddit, propter unitatem intellectus utramque scientiam habentis. Atqui haec ratio ex integro valet in re nostra; nam etiam hic beata visio affert aliquid (perfectam nempe et semper actualem omniscientiam) quod impedit admirationem, et cum ea stare non potest. Itaque aut scientia in Christo non tantum in ordine proprio visionis, sed etiam in alio inferiori, nempe cognitionis experimentalis, admirationem impedire dicenda est; aut fides in anima Christi, secundum inferiorem cognitionem, possibilis dicenda est.

Simili argumentatione illos possemus constringere theologos, qui in concilianda libertate Christi cum pracepto Patris de morte subeunda, negant veritatem seu rigorem pracepti, eo quod sub ipso impossibilem putant libertatem, propter impedimentum ex scientia beata proveniens. Cum autem in nostro tractatu de Christi possibilitate hoc argumentum enucleate proponatur, ab ulteriori expositione hic abstinemus.

Theologorum sententiae

Theologi qui Stum. Thomam sequuntur, sentientes difficultatem rei, conantur diversis modis ostendere quo pacto, vi scientiae inferioris, possibilis sit in Christo admiratio. En tentamina quaedam.

a) "Admiratio videtur esse quaedam submissio interna qua ille qui admiratur, recognoscit et profitetur humiliter suam imbecillitatem et debilitatem ad cognoscendum illud objectum; quare debet se considerare secundum aliquem statum vel praesentem vel praeteritum vel saltem possibilem in quo relictus sibi met et suo lumini non assequeretur effectum mirabilem vel causas illius. Sic Christus mirari potest, quia considerat se cum illa scientia experimentali quam naturaliter habet et cum qua sola manere posset, nisi ex Dei beneficio haberet aliam scientiam superiorem". Ita Lugo (l. c., n. 46).

Resp. Sed contra est quod affectus admirationis non habetur ex aliquo sta-

(11) Scotus tamen habitum fidei cum visione beata, absolute loquendo, in Christo stare posse, opinatur; de facto autem non permanere, quia esset inutilis. (*In 3 Sent. dist. 31, q. 3*). Durandus, de more radicalius, habitum fidei in beatis de facto remanere putat. Actum fidei in beatis nullus theologorum ponit, propter obstantia expressa verba Pauli. Cf. *1 ad Corinth. XIII.*

tu possibili aut praeterito, sed ex *actuali* statu cognitionis illius qui miratur. Pone e. g. artificem quemdam qui exemplar machinae saepius a se constructae, coram se habeat. Numquid miratur, aut mirari potest machinam eo quod ipse, infans cum esset, mechanismum illius nesciebat, aut quia fieri potuit ut in aliis vitae adjunctis artem mechanicam non didicisset? Sicut igitur mechanicus ille, dum artem suam oblivione, aut alia quavis causa non amittat, impossibile est ut miretur machinam cuius causas et functiones perspectas habet, ita fieri nequit ut Christus, stante scientia beata, qua fidem Centurionis ejusque causas perfecte et jugiter videbat, miretur ipsam fidem (quam, praeterea, ipse in corde Centurionis condiderat) propter aliquem statum ejus possibilem, in quo scientia beata non frueretur, nec esset omnicius.

Transeat igitur nun apud nos haberi possit admiratio ex aliquo nostro praeterito aut possibili statu, in quo scientia nostra a re aliqua mira superaretur; hoc, si fieret ideo esse videretur quia intellectus noster abstractivus cum sit, potest a scientia actuali praescindere et eam tantum prae oculis habere, quae ipsi erat antea, aut quae possibilis est. In Christo autem haec abstractio locum non habuit, quia ejus beata scientia jugiter in actu erat pleno et perfecto.

b) *Dices*: Homo videns puerum legentem et scribentem miratur, non quidem eo quod ipse ignoret rationem legendi et scribendi, sed quia ipse, pro tali statu, haec non poterat assequi, aut de facto non fuerat assequutus.

Resp. Homo talis miratur puerum legentem et scribentem, quia secundum ideam quam ipse habet *hic et nunc* de capacitate mentali pueri, haec ipsi videtur insufficiens ad legendi scribendique rationem assequendam. Unde admiratio exurgit in eo *directe et proxime* ex actuali statu cognitionis quam habet de vi mentali pueri et nonnisi *indirecte et remote* refertur ad statum ejus praeteritum, quatenus, nempe, de vi intellectuali puerorum judicat juxta ea quae ipse recordatur ex propria experientia in illa aetate, aut alia simili ratione.

Hinc etiam vides nihil hoc exemplo proficere Suarez (cf. *infra*) ad statuendam quamdam admirationis speciem quae non exigat ignorantiam, quaeque Christo non tamen Deo competit. Admiratio enim, quam nos experimur coram puerō illo, est vera et propria, proceditque ex nostra ignorantia, ut supra explicatum est. Ille autem qui esset omniscius, ut anima Christi, optimeque cognosceret omnes causas et conditiones quibus puer ille excellit intelligentia supra alios consimiles, nullam aliam admirationem pateretur, nisi mere objectivam; quae, ut diximus, etiam et Deo concedi potest et debet.

c) “Admiratio involvit subjectionem et quasi humiliationem reverentialem in ordine ad objectum quod admiramus. Haec autem humiliatio aliquando oritur ex excessu objecti supra nostrum captum et lumen naturale; et tunc non requiritur quod objectum illud non cognosceretur antea simpliciter et absolute; sufficit

quod non cognoscatur per lumen naturae et vires proprias, ad hoc ut possimus illud mirari; protestantes scilicet excessum objecti supra nostram capacitatem et scientiam naturalem; et hoc modo mirabatur Christus fidem Centurionis et alia." (Lugo, o. c., n. 48).

Resp. Bene notaverat ipse Lugo (n. 44) quod "non sufficit ad admiracionem concipiendam quod eventus aut ejus causa ignoretur a nobis per aliquam scientiam utcumque; nam si astrologus videat eclipsim cuius causam ignorat per scientiam dialecticae, adhuc non mirabitur, quia novit causam per astrologiam; quod sufficit ad admirationem impediendam". Quae quidem verba eamdem prorsus vim habere videntur si agatur de scientia naturali quam de supernaturali: ubi enim intellectus ita illuminatus praevie habetur, sive naturaliter sive supernaturaliter habeatur illuminatio, ut apprehensio superveniens nihil novi possit afferre cognitionis vel luminis, impossibile est propter unitatem intellectus utramque scientiam, naturalem et supernaturalem habentis, ut exurgat verus et proprius dictus admirationis affectus. Ita in Christo illucente beata scientia, nullum elementum cognitionis novum poterat afferre scientia experimentalis, unde oriaretur admiratio.

d) "Si angelus miretur de eventu aliquo inopinato, et insperato, eaque admiratione commotus interroget causam; poterit fortasse in eodem instanti edoceri ab alio angelo de re tota; potuit tamen admirari, quia vere ille effectus evenit illi supra omnem spem, et cognitionem, quam aliunde haberet; non tamen supra omnem, quam haberet in eodem instanti; siquidem in eodem instanti jam habet notitiam de effectu, quem videt, et de causa, de qua etiam ab angelo edocetur." Lugo (o. c., n. 44).

Resp. Admiratio posset admitti in tali angelo, quatenus illustratio quam accipit a superiore talis sit, ut ullum relinquat ignorantiae aut obscuritatis locum unde possit oriri admiratio. Quod si illustratio superioris et eventum et ejus causas perfecte patefaceret, impossibilem redderet admirationem; illa enim quae sponte exurgeret ex ignorantia in signo priori, impediretur ex plenitudine illustrationis in signo posteriori. Itaque in hypothesi quam supponit objectio (quod nempe, ignorantia, interrogatio et illustratio fiant in uno instanti) nullum revera datur instans in quo possibilis esset admiratio. Quod si haec diversis instantibus verificari dicimus (Cf. 1, LXX, 5, ad 2) concedenda esset admiratio in primo instanti, neganda autem in secundo.

Ceterum quidquid sit de casu hujus angeli prius ignorantis, postea interrogantis, tandem superiori scientia illustrati, patet eum longe distare a casu Christi jugiter et perfecte omnisci, cui alia, multo inferior, accedit apprehensio rerum jam cognitarum.

Plures theologi Augustinum, ut putant, sequentes (Cf. *supra*) duas distin-

guunt admirationis species; aliam quae ex ignorantia procedat, et hanc a Christo alienam proclaimant; aliam autem quae nullam importet ignorantiam, sed "ex apprehensione rei magnae et singularis oriatur etiamsi alias cognita sit... et requirit judicium de rei magnitudine vel simpliciter vel in ordine ad aliquem, ut cum admiramus scientiam pueri, quae licet in se magna non sit, est tamen magna et insolita respectu illius aetatis." Ita Suarez (l. c.); additque: "Praeter hoc tamen necessarium est, ut res hujusmodi novo aliquo modo cognoscatur", secus et Deo convenire posset talis admiratio, proindeque non esset vera et proprie dicta admiratio, cuius Deus incapax est.— Cf. etiam Sylvium (o. l. c.); Cajetanum, In. 3. XV, 8; Gotti, *Theol. schol.* tom. 3, tract. 1, q. 5, dub. 8; Billot (o. l. c.), etc.

Resp. De mente Augustini satis superque jam supra dictum est. Ad ipsam autem objectionem ita respondemus: haec admirationis species aut talis est, quae aliquam supponat ignorantiam actualem vel habitualem, tacitam et remotam, si vis, (exemplum allatum, ut supra explicatum est, ita innuere videtur); aut stat cum praevia cognitione rei mirae tam absolute quam relative plena, ejusque causarum conditionumque. Si primum, est contra mentem introducentium eam; agitur enim, ex hypothesi, de admiratione quae nullam supponat ignorantiam; si secundum, quantumcumque laborent in explicando, nihil in ea invenient propriae veraeque admirationis affectus, sed erit mera rei cognitio justa et adaequata; quam Deo ipsis tribuere opus est.

Ad illud autem quod addit Suarez de necessitate novae cognitionis ut habeatur admiratio, simili modo respondemus: aut enim nova haec cognitio novum aliquod cognitionis elementum affert, aut non; si primum, ergo praevia cognitio non erat perfecta, et ideo aliquam importabat ignorantiam; si secundum, impossibile est ut habeatur vera admiratio, ubi omnia jam perfecte et undequaque praevisa et cognita erant.

Vasquezio non placet haec conditio quam inducit Suarez (nempe, novus actus cognitionis) pro existentia admirationis, ut eam vitet in Deo; adductoque exemplo illius qui "videt aquam ex summa profunditate ad altissimum montem duci, miratur et scrutatur rationem quam postquam invenerit miratur adhuc semper insolitum et rarum illud artificium, et admiratio durat per multos annos", inducit (Vasquez) aliam conditionem quae impedit admirationem in Deo, nempe, quod res mira sit "supra vires naturales illius qui miratur". Apud Lugo (o. c., n. 40).

De hac re jam supra locuti sumus probantes hanc Vasquezii conditionem aut ad nostram reduci explicationem, aut non consistere. Ad exemplum autem quod attinet, etiam ex supra dictis habetur sufficiens responsio; admiratio enim quae fundatur in recordatione aut in iterata perceptione rei mirae, quatenus admirationem fundat, supponit semper imperfectionem cognitionis circa rem miram aut circa ejus causas vel conditiones. (Cf. *supra*). Hinc fit quod admiratio minuitur et tandem aliquando evanescit, cum novis apprehensionibus aut recordationi-

bus res melius, et tandem perfecte cognoscitur; aut etiam cum nova apprehensio nullum jam prorsus elementum novum nec insolitum cognitionis afferat.

“Addi potest alias admirationis modus ex D. Th. 1-2, q. 41, a. 4, ad 4 ei 5. Fieri enim potest ut licet effectus et causa cognoscantur, non tamen comprehendantur, nec perfecte videri possit modus emanationis a tali causa... Et hic modus cum non supponat ignorantiam, sed solum quamdam cognitionem inferioris ordinis seu minus perfectam, constat etiam potuisse habere locum in anima Christi, secundum aliquam rationem seu inferiorem secentiam”. Suarez (l. c.). Ita etiam Sylvius (o. l. c.) sed ex Sto. Thoma, 1-2, XXXII, 8.

Resp. Deum quidem non comprehendit intellectus Christi, habet tamen ab initio illam scientiae plenitudinem, quae augeri nequeat, et cui certe nihil novi possit occurrere aut incogniti. Stante itaque in Christo beata scientia cum unitate intellectus, impossibile est in ipso haberi admirationis affectum. Ad rem Lugo: “Licet anima Christi non comprehendat Deum, cognoscit tamen distinctissime et clarissime Deum, ut auctorem fidei, quam habebat Centurio, et penetrat in Deo rationes propter quas Deus dedit illi talern fidem et modum quo talis fides emanat a Deo; ergo etiamsi non comprehendat Deum in ordine ad alios effectus, vel alias perfectiones divinas, non ideo poterit mirari de hoc effectu in particuliari” (o. c., n. 43).

Ceterum, haec incomprehensio Dei quam inducit Suarez, ut fundamentum admirationis, aut sufficit per se solam ad admirationem gignendam, aut non; si non sufficit sed debet invocari auxilium scientiae inferioris, ut facere videtur Suarez, frustra inducitur, nec appareat cur hic modus sit ab aliis distinctus et speciali mentione dignus, cum iisdem prematur difficultatibus ex parte, nempe omniscientiae beatae animae Christi; si autem sufficiat, ergo et juxta beatam scientiam Christum admiratum concedere debemus, non tantum juxta inferiorem. Quod quidem hic non impugnamus, sed tantum ad rem nostram non pertinere dicimus; agimus enim de admiratione quae oriretur ex apprehensione per scientiam experimentalem.

Ad mentem Sti. Thomae quod attinet, non video quo pacto hic admirationis modus eruatur ex 1-2, XXXII, 8, ut vult Sylvius, nec minus ex 1-2, XLI, 4, ut contendit Suarez. Nihil enim tale dicitur in his locis de hoc admirationis modo. Imo potius a Christo excludi dicendum esset. Ait enim Aquinas: “Admiratio est causa delectationis in quantum habet adjunctam spem consequendi cognitionem ejus quod scire desiderat” (hic: 1-2, XXXII, 8). Potest autem concedi Christum habere delectationem ex adjuncta spe consequendi cognitionem ulteriorem; aut non potius dicendum est animam Christi in cognitione Dei intuitiva, perfecta frui quiete et plenitudine intellectus?

Non desunt theologi, qui concedentes admirationem fundari necessario in

quadam ignorantia, illam Christo convenire non posse statuunt, nisi per quamdam dispensationem, ad modum miraculi. Ita Lorca, apud Lugo (o. c., n. 42). Sed ut bene notat ipse Lugo, talis dispensatio nec in se ipsa possibilis esse videtur, cum repugnantia qua impeditur admiratio, ubi nulla praecedit ignorantia, sit intrinseca et essentialis. Et quidem; aut potest Christo exhiberi per experimentalē scientiam, aliquid novum et insolitum, aut non; si primum, absque ullo miraculo potest in eo dari admiratio; si secundum, absoluta videtur haberi repugnancia, quam nec Dei potentia salvare potest.

Ceterum, huic miraculosae dispensationi ratio finalis sufficiens assignari nequit; ut enim Christus doceret nos quid admirari et ideo imitari debeamus, sufficit illa exterior admiratio, quam supra audivimus ex Augustino, quin ad miraculum recurramus.

*Quaestio*n*is solutio*

Verba Sacrae Scripturae litteraliter accipienda sunt, juxta vulgatam regulam, ubi desunt solidae rationes, sive internae sive externae, sensum litteralem impedientes. Illi igitur theologi qui, cum Sto. Thoma, possibilem reputant in Christo admirationis affectum, ex eorum principiis logice ducuntur ad interpretandum in sensu litterali et proprio, verba Evangelii (Mt. VIII) quae commentantur. Nos autem qui juxta praedicta, propter impedimentum scientiae beatae, reputamus cum Sto. Augustino, impossibilem in Christo affectum propriae dictae admirationis, aliam proponere debemus interpretationem. Similiter procedunt e. g. in interpretandis verbis Evangelii secundum Joannem (X, 18), illi theologi qui reputant impossibilem libertatem Christi sub pracepto Patris. Cf. e. g. Billot, *Thes.* 30.

In mente Christi, antequam Centurionem corporaliter consiperet, erat perfecta cognitio beata (et etiam infusa) de fide Centurionis tam absolute quam relative, videbatque eam eminere supra aliorum, etiam in Israël. Nihil igitur novi cognovit Christus coram Centurione, sed verba et facta Centurionis experimentaliter confirmabant id quod jam diu et perfecte sciebat. Nullam igitur praesentia Centurionis poterat in Christo excitare admirationem veram. Poterat tamen dici Christus, sensu analogo, admiratus, cum experimentaliter cognovit fidem Centurionis, sicut revera erat in se fides illa, i. e. ut nova et insolita, non quidem relate ad intellectum Christi, sed in ordine mere objectivo, relate ad consimiles et coëtaneos. Cum enim apud nos novitas et insolentia rei cognitae producat admirationis affectum, ideo Evangelium, per quamdam nostri ad Christum translationem, ipsum dicit admiratum, cum fidem Centurionis experimentaliter cognovit. Imo vix possibile est aliud vocabulum invenire ut exprimatur humano modo affectus animae Christi coram Centurione.

Nec possumus hic admittere admirationem veram sed pure sensibilem, quam supra possibilem diximus esse in Christo; quia verba Centurionis nec graviori aut intensiori sono dicta fuisse, nec quidquam aliud mirandum in ordine sensibili habuisse videntur, unde organum auditionis aut visionis Christi novo et insolito modo excitaretur.

Christus igitur, cum admirationis affectum nec spirituale, nec mere sensibilem sit expertus, nec illos phisiologicos effectus passus est qui admirationem comitantur ut expressio vultus, intentio oculorum, exclamatio, prolatio spontanea verborum laudis, etc. Hos tamen effectus Christus potuit in se suscipere, ut nostrae conditioni perfecte, saltem exterius, adaptaretur; unde cum Maldonato possumus dicere quod "in modum admirantis vultum suum compositus"; et quod alibi perinde ac admiratus exclamaverit: O mulier, magna est fides tua (*Mt. XV, 28*).

Tandem, ut sape audivimus ex Augustino, hanc adaptationem Christus, ut nos erudiret, patravit; ut scilicet doceat nos admirari et ideo imitari fidem generosam illius Centurionis Capharnaum.

Dices. Haec sententia ponit in Christo simulationem quamdam; Jesum enim dicimus finxisse admirationem, quam revera non est expertus. Hoc autem non sat dignum Christo esse videtur.

Resp. Simulatio vera quae intentionem importat decipiendi, aberat a Christo, ut evidens est. Praeterea, veritas aliunde ex principiis nempe theologicis, dignosci poterat, quidquid externae tulissent apparentiae. Tandem, ad hanc veluti simulationem patrandam Christus optimas habuit rationes, in primis, ut saepe diximus, nostram eruditionem. Ad rem, Siuri (o. l. c., n. 7): "Si sermo sit de vera fictione, qua Jesus voluit credi et judicari admiratus cum revera non esset (dici nequit finxisse); nam ipse solum laudavit fidem Centurionis eo modo quo solent qui mirantur, sed quam vere habere poterat sine admiratione, quamvis per accidentem potuerint videntes judicare illum revera esse miratum; sicut de Deo irato philosophari debet".

Ceterum doctrina haec nova non est, cum saepe jam apud Patres occurrat, e. g. cum loquuntur de interrogationibus Christi quae passim occurrent in Evangelio. Ita Origenes, *In Matthaeum*, XIII, 51; Chrisostomus, *Homil.* 41 in quatriduanum Lazarum; Athanasius, *Orat. c. arianos*, c. 3, n.^o 50; Augustinus, *Contra Faustum*, lib. 22, c. 16; etc.

Quidam theologi, in quaestione de passione Christi concilianda cum ejus beatitudine, recurrent ad quamdam beatitudinis limitationem pro tempore passionis. Nota est Melchioris Cani sententia ponens gaudii beatifici in anima Christi suspensionem; alii ipsam beatam visionem suspensam esse contendunt (Cf. Janssens, *De Deo homine*, vol. 2, pag. 700); alii, denique, non suspensionem sed re-

strictionem ipsius visionis, in ejus objecto secundario, propugnant. Quidquid sit de illa difficulti quaestione, hae sententiae hic inadaptabiles esse videntur. Ratio enim qua theologi illi ad suspensionem vel restrictionem beatitudinis recurrunt est quia beatitudinem cum passione conciliari non posse autumant, et aliunde opus est ponere Christum et externe et interne passum fuisse, propter rationes tam exegeticas quam theologicas; inde coguntur beatitudinem, pro tempore passionis, suspensam aut restrictam proclamare. Sed admiratio Christi coram Centurione, nec theologica nec exegetica ratione aliqua gravi probatur fuisse vere et proprie talis; sed commode negari potest cum Sto. Augustino.

Si quis tamen maluisset propugnare suspensionem aut limitationem visionis beatae in Christo coram Centurione, certe tolleret ipsam difficultatis radicem.

Epilogus

A tempore haereseos arianae usque nunc, multa Patres protulerunt et theologi de admiratione quam Christo tribuit Evangelium. Ex quibus plura, utpote certa et inconcussa, scientiae theologicae jam diu incorporata sunt; alia vero disputant adhuc inter theologos. Unum tamen eminet indubitatum et evidens in historia hujus controversiae: tam si cum Patribus veteribus dicas simpliciter admirationem non tribui Divinitati; quam si, cum Sto. Thoma, distinguas in humanitate Christi multiplicem scientiam, et nonnisi secundum inferiorem concedas Christo homini admirationis affectum; quam si denique cum Sto. Augustino, radicalius et efficacius, et Divinitati et humanitati Christi abneges proprie dictam admirationem conclusio eadem tibi imponitur, historiae auctoritate sancita et confirmata: *vanum nempc et infelix esse argumentum arianorum ex Mt. VIII, petitum, ad Verbi divinitatem inficiendam!*

Quod nunc in saeculari commemoratione decima sexta concili Nicaeni, juvat considerare.